

H V M V L P H V S   R E X   S V E O N V M.



**H**Vmulphus filius fuit Bericonis regis Sueo-  
num & Gothorum primogenitus. Hunc pa-  
ter Berico cum magna incolarum parte continen-  
tem Europæam ipsamq; Vlmeringiam inuasurus,  
domi & in patria regem constituit, atque commis-  
sum regnum uiriliter & sapienter administrare ius-  
sit. Itaque Humulphus paternarum uirtutum egre-  
gius imitator post patris discessum civiles regni di-  
scordias sustulit, atque omnia ita repressit & paca-  
uit, ut sublatis odijs tranquilla ubique pax ac secu-  
ritas inter omnes Gothiæ & Suetiæ incolas appa-  
reret, uiderenturq; bella et seditiones, relicto Go-  
thorum regno, ad exteras nationes commigrasse.

Claruit Humulphus anno mundi bis millesimo quingentesimo quadragesi-  
mo. Ioan. Mag. Gothus lib. 2, cap. 1. Hist. Goth. & Sueonum.